ILLUSTRATIONS OF THE DIVINE COMEDY FROM THE CHRONICLE OF FRA SALIMBENE.

The *Chronica Fr. Salimbene Parmensis Ordinis Minorum* were first published at Parma in 1857, from a manuscript in the Vatican.[1]

The book contains a record of the years from 1212 to 1287, and was mainly written in 1283–7 when the author was between sixty and seventy years old. It has in great part the character of an autobiographical narrative, with many digressions in regard to the public events of the time and accounts of notable personages. The motive which led the friar to compose it was to give his niece Agnes an account of her family, and some knowledge of the happenings in the world. "Nos aliter historias narrare non possumus nisi sicut de facto fuerunt, et vidimus oculis nostris tempore Imperii Friderici, et post mortem ejus annis multis, usque ad dies nostros, in quibus scribimus haec anno Domini MCCLXXXIIII. Ego quoque scribendo diversas chronicas, simplici et intelligibili stylo usus sum, ut neptis mea, cui scribebam, posset intelligere quod legebat; nec fuit mihi cura de verborum ornatu, sed tantum de veritate historiae conscribendae. Neptis autem mea soror Agnes est, filia fratris mei, quae cum pervenit ad bivium pytagoricae litterae, monasterium parmense est ingressa ordinis sanctae Clarae, et usque in hodiernum diem perseverat in servitio Jesu Christi." p. 67.

Salimbene's Latin is far from classical, but it has no scholastic rigidity; it is careless, fluent, limpid, the natural expression of a simple, vivacious and sincere character. In its clear revelation of the writer's personality the narrative illustrates not only his own disposition but that of his contemporaries, and the general intellectual and moral conditions of the period. It is thus one of the most

[1] In 4to, pp. xvi, 424, forming a volume in the series of Monumenta Historica ad Provincias Parmensem et Placentinam pertinentia.

instructive records of life in Italy during the thirteenth century, while from the vivid pictures of incidents, and from the admirable delineations of persons with which it abounds it is one of the most entertaining books of the Middle Ages. It reveals a childlike naïveté and simplicity of emotion and expression, combined with acuteness of discrimination and a wide range of experience. In a word it has the charm of nature, and depicts a time of sharp contrasts in life and character, of keen intelligence and profound ignorance, of inquisitive curiosity and trust in authority, of reason and superstition, of tenderness and cruelty, of splendor and squalor, of immense energy displayed alike in noble achievement and in extravagant folly.

The Chronicle exhibits, as perhaps no other book does in equal measure, the aspects of the life of which the Divine Comedy was the final expression, and it also affords many illustrations of special passages of the poem. As these are not to be found, so far as I know, in any of the Comments, and as the Chronicle is not generally accessible I have thought that a selection of them would be of interest to the student of Dante's work.

C. E. NORTON.

Inferno, x, 118–120.

Dissemi: "Qui con più di mille giaccio:
Qua dentro è *lo secondo Federico*,
E *il Cardinale*, e degli altri mi taccio."

Nota quod Fridericus quasi semper dilexit habere discordiam cum Ecclesia, et eam multipliciter impugnavit, quae nutrierat eum, defenderat et exaltaverat. De fide Dei nihil habebat: callidus homo fuit, versutus, avarus, luxuriosus, malitiosus, iracundus; et valens homo fuit interdum quando voluit bonitates et curialitates suas ostendere; solatiosus, jocundus, delitiosus, industriosus; legere, scribere et cantare sciebat, et cantilenas et cantiones invenire: pulcher homo et bene formatus, sed mediae staturae fuit. Vidi enim eum et aliquando dilexi, nam pro me scripsit fratri Helyae generali ministro ordinis fratrum Minorum ut amore sui me redderet patri meo. Item multis linguis et variis loqui sciebat; et, ut breviter me expediam, si bene fuisset catholicus, et dilexisset Deum et Ecclesiam suam, paucos habuisset

in Imperio pares in mundo; sed quia scriptum est quod modicum fermentum totam massam corrumpit, omnes suas bonitates destruxit in eo, quod persecutus est Ecclesiam Dei, quam non fuisset persecutus, si animam suam et Deum dilexisset. Qualis fuit Fridericus Imperator quondam, qui peccavit in uno Deo, et ideo multa bona perdidit, quia praesentia et futura, ipse viderit et sibi imputetur; ideo ab Imperio depositus fuit, et mala morte obiit.

Erat enim epycureus, et ideo quicquid poterat invenire in divina Scriptura per se et per sapientes suos quod faceret ad ostendendum quod non esset alia vita post mortem, totum inveniebat... Quae omnia faciunt ad destructionem credulitatis Friderici et sapientum suorum, qui crediderunt quod non esset alia vita nisi praesens, ut liberius carnalitatibus suis et miseriis vacare possent. Ideo fuerunt epycurei: sicut enim stoyci ponunt felicitatem hominis in sola animi virtute, sic epycurei in sola corporis voluptate.

Chronica, pp. 166–169.

Post praedictos, missus fuit in Lombardiam legatus dominus Octavianus diaconus cardinalis. Hic fuit pulcher homo et nobilis, scilicet de filiis Hubaldini de Musello in episcopatu florentino: multum reputatus fuit ex parte Imperii, sed propter honorem suum interdum faciebat aliqua ad utilitatem Ecclesiae, sciens quod propter hoc missus fuerat. . . . Cum autem redii in Lombardiam, et post plures annos dominus Octavianus adhuc legatus esset Bononiae, pluribus vicibus comedi cum eo; et locabat me semper in capite mensae suae, ita quod inter me et ipsum non erat nisi socius frater, et ipse tertium locum mensae habebat a capite. Tunc faciebam quod Sapiens in Prov. docet, XXIII., etc.; et hoc fieri oportebat, quoniam tota sala palatii discumbentibus erat plena. Verumtamen abundanter et decenter comestibilia habebamus, et vinum abundans et praecipuum ponebatur, et omnia delicata. Tunc coepi cardinalem diligere.

pp. 195, 196.

Inferno, xii, 109–112.

E quella fronte ch' ha il pel così nero,
È *Azzolino;* e quell' altro, ch' è biondo,
È *Opizzo da Esti*, il qual per vero
Fu spento dal figliastro su nel mondo.

Porro in alia Marchia dominatus est frater istius Albrici dominus Icilinus, ut in Padua, Vicentia, atque Verona. Hic vero fuit membrum diaboli et filius iniquitatis: . . . Pejor enim homo fuit de mundo: non credo revera quod ab initio mundi usque ad dies nostros fuerit ita malus homo; nam ita tremebant eum omnes, sicut tremit juncus in aqua: et hoc

non sine causa erat; qui enim erat hodie, de crastina die securus non erat. Pater petebat filium ad interficiendum, et filius patrem, vel aliquem sibi propinquum, ut Icilino placeret: omnes majores et meliores et potentiores et ditiores et nobiliores delevit de Marchia trivisina; et mulieres castrabat, et cum filiis et filiabus in carceribus includebat, et ibi fame et miseria peribant. Multos religiosos interfecit, et in carceribus diu habuit, tam ex ordine fratrum Minorum et Praedicatorum, quam ex ordinibus aliis.... Nec Nero, nec Decius, nec Diocletianus, nec Maximianus in malitia fuerunt similes sibi, sed neque Herodes, neque Antiochus, qui pessimi homines de mundo fuerunt. Vere isti duo fratres duo daemones extiterunt, de quorum quolibet possem componere librum grandem, si tempus sufficeret et pergamenum haberem. Verumtamen in morte Albricus optime fuit contritus (Icilinus vero nunquam revertus est ad Deum); in quo magna Dei misericordia est ostensa, dum talem hominem etiam in morte suscepit.

p. 182. (Cf. pp. 75, 201, 238, et passim.)

"Nunc superest ut dicamus de his qui in Lombardia et in Romagnola dominium habuerunt. ... in Mantua, dominus Pinamons civis Mantuae, cujus dominium valde longum et durum fuit annis multis; in Ferraria, dominus Salinguerra, post quem, Azo marchio Hestensis, post quem, Opizo filius Rainaldi filii praedicti Azonis, qui mortuus est in Apulia in carcere obses Imperatoris. Fuit ergo iste Opizo filius cujusdam neapulitanae et Rainaldi filii Azonis praedicti, et portatus fuit parvulus de Apulia, ut vidi oculis meis; qui Opizo fuit vir magni cordis, non tamen bonus, quia multa mala fecit: et illos de Fontana expulit de Ferraria, qui eum sublimaverant, et ferrariensibus ultra modum longum et durum fecit dominium annis multis."

pp. 178, 179.

Inferno, xiii, 58, 59.

Io son colui, che tenni ambo le chiavi
Del cor di Federico, ...

Sed Imperator nullius amicitiam conservare sciebat. Quinimmo gloriabatur, quod nunquam nutrierat aliquem porcum, cujus non habuisset axungiam. Et volebat dicere, quod nunquam sublimaverat aliquem ad divitias et honorem cujus postea non exhausisset marsupium, vel thesaurum. Quae erat maxima miseria dicere. Sed patuit hoc in Petro de Vinea, qui in curia Imperatoris maximus et consiliarius et dictator fuit, nec non et ab Imperatore appellatus est logotheta. Et tamen eum de pulvere exaltaverat, et in eundem pulverem eum postmodum fecit reverti. Nam radicem verbi invenit contra eum, nec non et calumniam. Calumnia autem Imperatoris contra Petrum de Vinea fuit hujusmodi. Imperator miserat judicem Thaddaeum et Petrum

de Vinea, quem maxime diligebat et super omnes alios in curia Imperatoris erat, et quosdam alios Lugdunum ad Papam Innocentium quartum, ut impedirent Papam, ne festinaret ad depositionem ipsius. Audierat enim quod propter hoc Concilium congregabat. Et praeceperat eis, quod nullus cum Papa sine alio, vel nisi praesentibus aliis, loqueretur. Postquam autem reversi sunt, accusaverunt socii Petrum de Vinea, quod pluries sine eis cum Papa familiare colloquium habuisset. Misit igitur Imperator, et fecit eum capi et mala morte mori.

pp. 78, 79. (Cf. p. 164.)

Inferno, xx, 95, 96.

Prima che la mattìa di Casalodi
Da *Pinamonte* inganno ricevesse.

Erat autem dominus Pinamons quidam civis Mantuae, et usurpaverat sibi dominium civitatis suae, et expulerat concives suos, et occupaverat bona eorum, et domos et turres destruxerat illorum quos inimicos credebat. Et timebatur sicut diabolus; et erat homo senex et totus canus, et habebat filiorum maximam turbam: inter quos erat unus frater Minor, qui dicebatur frater Phylippus, bonus homo et honestus, et lector in theologia. Hic aliquando fuit haereticorum inquisitor, et multos cepit et fugavit et destruxit de terra quae dicebatur Sermilion. Item dominus Pinamons solitus erat gloriari, quod in isto suo dominio nunquam habuerat aliquod infortunium, sed omnia ad vota succèsserant; quae erat stultitia magna, cum Sapiens etc. Item in poetria novella sic habetur:

Si bene successit, non prima, sed ultima spectes.
A casu describe diem, non solis ab ortu.

pp. 222, 223.

Inferno, xx, 118–120.

Vedi *Guido Bonatti*, vedi *Asdente*
Che avere inteso al cuoio ed allo spago
Ora vorrebbe, ma tardi si pente.

Frater Hugo de Regio, qui dictus est Hugo paucapalea, fuit magister in grammatica in saeculo, et magnus trufator et magnus prolocutor, et in ordine fratrum Minorum sollemnis et optimus praedicator, et qui mordaces ordinis confutabat et confundebat praedicationibus et exemplis. Nam quidam magister Guido Bonattus de Furlivio, qui se philosophum et astrologum esse dicebat, et praedicationes fratrum Minorum et Praedicatorum vituperabat, ita ab eo fuit confusus coram universitate et populo liviensi, ut toto tempore quo frater Hugo fuit in partibus illis, non solum non loqui, verum etiam nec apparere auderet.

p. 413.

Item his diebus erat in civitate parmensi quidam pauper homo, operans de opere cerdonico, faciebat enim subtellares, purus et simplex, ac timens Deum, et curialis, idest urbanitatem habens, et illiteratus ; sed illuminatum valde intellectum habebat in tantum ut intelligeret scripturas illorum qui de futuris praedixerunt, scilicet abbatis Joachym, Merlini, Methodii et Sibillae, Isaiae, Jeremiae, Oseae, Danielis et Apocalypsis, nec non et Michaelis Scoti, qui fuit astrologus Friderici secundi Imperatoris quondam. Et multa audivi ab eo, quae postea evenerunt, videlicet quod Papa Nicolaus tertius in mensi augusti mori debebat, et quod Papa Martinus erat futurus ; et multa alia, quae expectamus videre, si fuerit vita comes, nam

"*Ratio praeteriti scire futura facit.*"

Iste homo, praeter proprium nomen, quod est magister Benvenutus, communiter appellatur Asdenti, idest absque dentibus per contrarium, quia magnos habet dentes et inordinatos, et loquelam impeditam, tamen bene intelligit et bene intelligitur. In capite pontis moratur in Parma, juxta foveam civitatis et juxta puteum, per stratam quae vadit ad burgum Sancti Domini.

p. 284.

His diebus dominus Opizo parmensis episcopus prophetam parmensium, qui dicitur Asdenti, invitavit ad prandium, et de futuris diligenter quaesivit ab eo. Qui dixit, audientibus multis, quod usque ad breve tempus regini et parmenses tribulationes multas erant passuri ; et de morte summi Pontificis Papae Martini quarti praedixit similiter, omnium istorum tempora determinando et specificando, quae ponere nolo ; et quod succedere debebant tres summi Pontifices et ab invicem discedere, quorum unus esset legitimus, duo vero non legitime facti ; et de destructione Mutinae, antequam eveniret, praedixerat. Nec est aliter iste propheta, nisi quia illuminatum intellectum habet ad intelligendum dicta Merlini et Sibyllae et abbatis Joachym, et omnium qui de futuris aliquid praedixerunt ; et est curialis homo et humilis et familiaris et sine pompa et vanagloria ; nec aliquid dicit affirmando, sed dicit : ita videtur mihi, et ita intelligo ego istam scripturam ; et cum aliquis legendo coram eo aliquid subtrahit, statim percipit et dicit : tu decipis me, quia aliquid dimisisti. Et de diversis partibus mundi multi veniunt ad ipsum interrogandum.

p. 303.

Inferno, xxiii, 37-42.

Lo Duca mio di subito mi prese,
  Come la madre ch' al romore è desta,
  E vede presso a sè le fiamme accese,
Che prende il figlio e fugge e non s' arresta,
  Avendo più di lui che di sè cura,
  Tanto che sola una camicia vesta.

Anno Domini MCCXXII ... in Nativitate D. N. Jesu Christi fuit maximus terraemotus ... Solità erat mater mea mihi referre, quod tempore istius magnae terraemotus jacebam in cunabulis; et ipsa accepit duas sorores meas, sub qualibet ascella unam, erant enim parvulae. Et, me in cuna dimisso, cucurrit ad domum patris et matris et fratrum suorum. Timebat enim, ut dicebat, ne Baptisterium super eam caderet, quia ibi juxta erat domus mea. Et ex hoc non ita chare diligebam eam, quia plus debebat curare de me masculo, quam de filiabus. Sed ipsa dicebat, quod aptiores erant sibi ad portandum, cum essent grandiusculae. p. 6.

Inferno, xxiii, 103–105.

Frati Godenti fummo e Bolognesi,
Io Catalano e questi *Loderingo*
Nomati, ...

Item millesimo supraposito [1261] composita et ordinata fuit regula militum beatae Mariae Virginis mediante fratre Rufino Gurgone de Placentia, qui multis annis fuerat minister Bononiae, et tunc erat poenitentiarius in curia domini Papae, et erat Bononiae pro negotiis curiae. Ordinata etiam fuit per honorabiles viros dominum Lotherengum de Andalois de Bononia, qui prior extitit, et praelatus ejusdem ordinis, inter eos, et per dominum Gruamontem etc. ...

Isti a rusticis trufatorie et derisive appellantur Gaudentes; quasi dicant: ideo facti sunt fratres, quia nolunt communicare aliis bona sua, sed volunt tantummodo sibi habere. ... Isti qui dicuntur Gaudentes ita multiplicantur, sicut panis in manu famelici; et reputant se fecisse magnum quoddam, praeclarum quiddam ex eo quod talem habitum assumpserunt; sed parum in romana curia reputantur. Et hoc propter quinque: primo, quia de suis divitiis nec monasteria, nec hospitalia, nec pontes, nec ecclesias unquam construxerunt, seu alia opera pietatis fecisse reperiuntur; secundo, quia multa aliena abstulerunt per rapinam, more potentum, nec restituerunt male ablata; tertio, quia, postquam consumpserunt divitias suas faciendo magnas expensas et largas in multis vanitatibus et comessationibus et comedendo cum hystrionibus et non cum Christi pauperibus, ipsi petunt ab Ecclesia romana, et volunt obtinere a Papa et invadere loca meliorum religiosorum, quicumque ipsi sint, et illos de domibus suis expellere; quarto, quia avarissimi homines sunt: *Radix enim omnium malorum est cupiditas;* quinto et ultimo, quia non video ad quid deserviant in Ecclesia Dei, idest ad quod utiles sint, nisi forte quia salvos faciunt semetipsos, quae a Hieronymo *sancta rusticitas* appellatur ... Igitur de hac materia satis sit dictum.

Amodo *gaudendum est cum gaudentibus, et flendum cum flentibus.* ... Obiit Papa Alexander quartus MCCLXI., et substitutus est Urbanus IIII., qui istorum Gaudentium regulam dedit.

241, 242.

Inferno, xxvii, 40, 41.

Ravenna sta come stata è molti anni;
L'aquila da Polenta là si cova.

Purgatorio, xiv, 115.

Ben fa *Bagnacaval* che non rifiglia.

Melius fecit dominus Guido de Polenta habitator civitatis Ravennae, qui sufficienter ultus est, et noluit excedere modum. Cum enim esset puerulus, et Imperator patrem ejus obsidem teneret in vinculis, procuravit dominus Guido Malabocca, frater comitis Rogerii de Bagnacavallo, quod Imperator amputavit ei [sc. patri Guidonis] caput, idest amputari fecit; et ipse [sc. Guido], postquam crevit, Guidoni Malaboccae consimiliter fecit. Cum autem processu temporis iret Bagnacavallum cum multis armatis, et comitem Rogerium reperisset in via cum paucis, et persuaderent ei itineris socii, qui cum eo erant, quod de comite Rogerio modo se totaliter poterat expedire ut de cetero timore careret, respondit dicens: Satis fecimus; sufficiant nobis illa quae facta sunt: mala enim semper possunt fieri, sed cum facta fuerint, revocari non possunt. Et sic eum libere abire permisit.

p. 359.

Inferno, xxvii, 67.

Io fui uom d' arme, e poi fui cordelliero.

In Furlivio dominatus est dominus Guido comes montefeltranus, qui fuit vir bellator, et peritiam habuit artis pugnae, et plures victorias de bononiensibus, qui erant ex parte Ecclesiae, cum eis bellando obtinuit. Pluribus annis tempore validae guerrae in Furlivio dominium habuit, sed in fine defecit tam ipse, quam livienses, pro eo quod Papa Martinus quartus de illa guerra pertinaciter et obstinato animo se intromisit, volens penitus de Furlivio victoriam obtinere. Quapropter, cum venisset dominus Bernardus cardinalis romanae curiae, legatus in Romagnolam, et livienses tradidissent se sibi, misit dominum Guidonem comitem Montefeltri primo Cluciam, postmodum in Lombardiam ad civitatem astensem, ut in confinio staret ibi; qui humiliter obedivit habitando ibidem.

p. 183.

Comes vero Guido de Montefeltro, qui fuerat capitaneus et dux illorum liviensium et partis Imperii, cum Ecclesia concordavit, et stetit in confinibus apud Clugiam tempore aliquanto: postmodum missus fuit in Lombardiam, et habitavit in civitate astensi cum magno honore, quia diligebatur ab omnibus propter praecedentem probitatem, et crebras victorias quas habuerat, et

quia modo sapienter et humiliter obediebat Ecclesiae. Insuper erat homo nobilis et sensatus et discretus et morigeratus, liberalis et curialis et largus, strenuus miles et probus in armis et doctus ad bellum.[1] Ordinem fratrum Minorum diligebat, non solum quia aliquos propinquos habebat in eo, verum etiam quia beatus Franciscus eum de multis periculis liberaverat, et de compedibus et carcere domini Malatestae; et tamen a quibusdam stultis ex ordine fratrum Minorum pluries graviter fuit offensus. Hic in civitate astensi habuit decentem societatem atque familiam, eo quod multi sibi manum adjutricem porrigere non çessabant.

pp. 288, 289.

Inferno, xxxi, 49–55.

Natura certo, quando lasciò l' arte
Di sì fatti animali, assai fe' bene,
Per torre tali esecutori a Marte:
E s' ella d' *elefanti* et di balene
Non si pente, chi guarda sottilmente
Più giusta e più discreta la ne tiene."

Eodem anno [1235] dominus Imperator Fridericus misit elephantem in Lombardiam cum pluribus dromedariis et camelis et cum multis leopardis, et cum multis gerifalcis et asturibus. Et transierunt per Parmam, ut vidi oculis meis, et steterunt in civitate Cremonae. ...

Et ante festum sancti Martini [1237] per duos dies, venit [Imperator] cum exercitu apud Pontemvicum. Tunc habuit Imperator elephantem suum, quem Cremonae tenuerat, super quem erat turris lignea ad modum carrocii lombardorum; et erat quadratum et bene ligatum, habens banderias quatuor, in quolibet angulo unam, et in medio magnum vexillum; et intus magister bestiae cum multis saracenis. De hac materia satis habetur in primo Machabaeorum libro. Horum animalium in Aethiopia magna copia est, quorum naturam et proprietates frater Bartholomaeus anglicus ex ordine Minorum in libro, quem *De proprietatibus rerum* fecit, sufficienter exposuit. Magnus clericus fuit, et totam Bibliam cursorie Parisius legit.

pp. 47, 48.

Inferno, xxxii. 121–123.

Gianni de' Soldanier credo che sia
Più là con Ganellone, e *Tribaldello,*
Ch' aprì Faenza quando si dormia.

Et eodem anno [1280], in mense novembris, capta fuit Faventia per ravennates et XXV. soldaderios reginos, qui erant in civitate Imolae pro

[1] "Il nobilissimo nostro Latino Guido Montefeltrano."
Convito, iv, 28.

Communi regino in servitio bononiensium, et per quosdam milites comitis, et per bononienses, qui postea illuc cucurrerunt, et post eos tota militia parmensium et reginorum, qui iverunt usque ad Imolam; et multi bononienses fuerunt ibi capti, et fuerunt ultra XLV. de bonis, et multi mortui. Et quidam magnus et potens dictae civitatis Faventiae, qui vocabatur dominus Tebaldellus de Zambrasiis, qui non erat legitimus, sed frater suus frater Zambrasinus, qui est de ordine fratrum Gaudentium, medietatem haereditatis paternae dederat ei, quia videbat eum virum industrium, et quia plures de Zambrasiis non remanserant nisi isti duo fratres, et quia ambo poterant esse divites, ideo divisit cum eo haereditatem ex aequo, et fecit eum inclytum; hic ergo Tebaldellus, quem centies vidi et cognovi, et fuit vir pugnator sicut alter Jepte, dictam terram, scilicet faventinam civitatem, dedit in manibus praedictorum bononiensium. Et eo tempore, quo intraverunt civitatem Faventiae praedicti bononienses intrinseci, idest qui ex parte Ecclesiae se esse dicebant, media pars civitatis Faventiae erat cum bononiensibus exterioribus in obsidione cujusdam castri: observavit ergo Tebaldellus tempus congruum sibi ad malefaciendum.

pp. 278, 279.

Porro pars Ecclesiae in Faventia a Zambrasiis denominabatur, et non erant nisi duo ex illo casali, scilicet frater Zambrasinus, qui de ordine fratrum Gaudentium fuit et est, et Tebaldellus frater ipsius non legitimus; et reputabatur, quia vir fortis et pulcher erat, et dives quia frater suus Zambrasinus legitimus aequaliter haereditatem cum eo diviserat. Hic bis civitatis suae Faventiae proditor fuit: primo dedit eam liviensibus, et habitabam ibi tunc; secundo parti Ecclesiae eam restituit; et post breve tempus in fovea civitatis liviensis periit, et suffocatus est cum dextrerio suo et aliis multis.

p. 184.

Purgatorio, vii, 112–114.

Quel che par sì membruto, e che s' accorda
Cantando con *colui del maschio naso*,
D' ogni valor portò cinta la corda.

Iste Petrus Rex Aragoniae fuit homo magnifici cordis, et fortis armatus, et doctus ad bellum; nam homo fuit magnae audaciae, et multa praesumpsit, ut patet in negotio regni Siciliae, quod contra Regem Karolum et Papam Martinum ausus fuit invadere.

Videtur mihi quod opus Petri Aragonum possit connumerari cum operibus Alexandri, qui in multis terribilibus negotiis et operibus voluit experiri ut laudem in posterum mereretur.

pp. 354, 355. (Cf. pp. 245, 281, et al.)

Nam sequenti anno, scilicet MCCLXXXV., Indictione XIII., immediate sequenti die post Epyphaniam, qua Dominica habebatur, Rex Carolus apud Fociam ultimum diem clausit, et portatus fuit Neapolim, et ibi sepultus: et nota quod tali die obiit quali fuerat coronatus, revolutis pluribus annis. Hic fuit optimus praeliator, et abstulit opprobrium gallicorum quod sub sancto Lodoyco incurrerant ultra mare. ... De cujus morte quaedam sancta domina magnas habuit visiones. Nam millesimo supraposito, scilicet MCCLXXXV., quaedam domina de civitate quae appellatur Barletta vidit somnium sibi a Deo ostensum, quod narrans fratribus Minoribus, quorum devota erat, dixit: vidi in visione nocturna quemdam astantem mihi et dicentem: scito praenoscens quod infra unum annum quatuor solemnes personae morti tradentur a Deo, *ubi constituta est domus omni viventi*, Job. xxx.; et primus erit Rex Karolus; secundus Papa Martinus; tertius Phylippus Rex Franciae; quartus Petrus Rex Aragoniae. Haec omnia rerum probavit eventus, quia accidit ita ut dictum fuerat sibi. Item haec eadem domina, quando Rex Karolus obiit, aliud vidit somnium, quod narrans fratribus Minoribus ait: videbatur mihi quod essem in quodam magno viridario valde pulcherrimo, in quo vidi draconem ingentem atque terribilem, ante cujus conspectum fortiter fugiebam nimio timore perterrita. Draco vero velocissimo cursu post me veniebat, humanis vocibus inclamando atque rogando ut eum expectarem, quia mihi loqui volebat. Cum autem audissem quod mihi voce loquebatur humana, abire cessavi, volens audire quod diceret; et conversa, aio ad eum: quinam estis vos, et quid mihi dicere vultis? Et respondit et dixit: ego sum Rex Karolus qui habitabam in isto pulcherrimo viridario, de quo Petrus Rex Aragoniae cum uno frusto carnis nunc me expellit. De uxore Petri Aragoniae dicebat, cujus occasione contra Karolum regnum Siciliae occupavit; et quod mulier carnis nomine intelligatur, habetur Jo. i. pp. 330, 331.

Purgatorio, xi, 79–81.

"O," dissi lui, "non sei tu Oderisi,
L' onor d' Agobbio, e l' onor di quell' arte
Che *alluminare* è chiamata in Parisi?"

Iste frater Henricus pisanus fuit pulcher homo, mediocris tamen staturae, largus, curialis, liberalis et alacer. Cum omnibus bene conversari sciebat condescendendo se moribus singulorum, fratrum suorum gratiam habens et saecularium, quod paucorum est. Item sollemnis praedicator et gratiosus clero et populo fuit. Item sciebat scribere, miniare, quod aliqui illuminare dicunt (pro eo quod ex minio liber illuminatur), notare, cantus pulcherrimos et delectabiles invenire, tam modulatos, idest fractos, quam

firmos. Sollemnis cantor fuit. Habebat vocem grossam et sonoram, ita ut totum repleret chorum. Quillam (?)[1] vero habebat subtilem, altissimam et acutam, dulcem, suavem et delectabilem supra modum. Meus custos fuit in senensi custodia, et meus magister in cantu, tempore Gregorii Papae noni.

p. 64.

Purgatorio, xiv, 97–99.

Ov' è il buon Lizio, ed Arrigo Mainardi,
Pier *Traversaro*, e Guido di Carpigna?
O Romagnoli tornati in bastardi!

Et nota quod in Ravenna antiquitus fuerunt IIII. nobilia casalia, sicut in pontificali Ravennae pluries legi. Habitavi enim ibi per quinquennium. Et omnia illa casalia, quae erant nobiliora et super alia, ad nihilum sunt redacta, quorum ultimum, quod plus duravit, fuit casale domini Pauli Traversarii, quod diebus meis omnino defecit. Fuit autem Paulus Traversarius pulcherrimus miles et magnus baro, et ditissimus valde, et dilectus a civibus.

p. 52.

Purgatorio, xiv, 118–120.

Ben faranno *i Pagan*, dacchè il Demonio
Lor sen girà; ma non però che puro
Giammai rimanga d' essi testimonio.

Porro in montibus Petrus Paganus ex parte Imperii magnus erat, famosus et nominatus et doctus ad bellum ; et habitabat in quodam castro, quod appellabatur Sosonana : bonam uxorem habuit dominam Dyanam, et bonam sororem dominam Gallam Placidiam : hae ambae meae devotae fuerunt.

p. 184.

Purgatorio, xx, 67, 68.

Carlo venne in Italia, e, per ammenda,
Vittima fe, di *Corradino*;

Item millesimo supraposito, scilicet anno Domini MCCLXVIII., Conradinus, olim nepos Friderici Imperatoris, parvipendens domini Papae excommunicationem, contra Karolum, quem Ecclesia Regem Siciliae fecerat, insurgens, ad theutonicos, quos habuit, quampluribus lombardis et tuscis adjunctis, pervenit usque Romam, ubi cum imperiali more sollemniter

[1] This word which is queried in the original text may come from the Provençal *quil*, one meaning of which Raynouard, *Lexique Roman*, gives as *gazouillement*. In Italian *cantare in quilio* or *quilo* was used for singing in *falsetto*.

receptus fuisset, associato sibi senatore urbis domino Henrico fratre Regis Castellae, et quamplurimis romanis, contra Karolum Apuliam intravit: sed, post durum campestre bellum, Conradinus cum suis terga vertentibus capitur, et a Karolo cum duobus nobilibus decollatur. p. 250.

Iste Conradinus litteratus juvenis fuit, et latinis verbis optime loquebatur. p. 247.

Purgatorio, xxiv. 20–24.

— e quella faccia
Di là da lui, più che l' altre trapunta,
Ebbe la santa Chiesa in le sue braccia:
Dal Torso fu, e purga per digiuno
L' anguille di Bolsena e la *vernaccia.*

Et ibi prope vinum de Vernacia abundanter habetur; et vinum terrae llius optimum est, usque adeo, quod versus cujusdam Trutanni pro vino illo locum habere possunt. Dixit enim :

Vinum de vite — det nobis gaudia vitae.
Si duo sunt vina, — mihi de meliore propina.
Non prosunt vina, — nisi fiat repetitio trina.
Dum quartum poto, — succedunt gaudia voto.
Ad potum quintum — mens vadit in laberyntum.
Sexta potationum — me cogit abire supinum.

p. 334.

Paradiso, vi, 133, 134.

Quattro figlie ebbe, e ciascuna regina
Ramondo Beringhieri.

Nota quod iste comes, de quo supra dixi, dictus est Raymundus Berengarii; et fuit pulcher homo et amicus fratrum Minorum, et fuit pater reginae Franciae et reginae Angliae, et tertiam ejus filiam habuit uxorem frater Regis Angliae, et quartam Karolus frater Regis Franciae, ex qua habuit comitatum Provinciae. p. 100.

Paradiso, xi, 82–84.

O ignota ricchezza, o ben ferace!
Scalzasi *Egidio* e scalzasi Silvestro
Dietro allo sposo; sì la sposa piace.

Ideo bene dixit frater Aegidius perusinus (non quia de Perusio fuerit, sed quia ibi diu vixit, et vitam finivit), homo extaticus et totus divus, quartus in ordine frater, computato beato Francisco; dixit enim: *Magna gratia*

est non habere gratiam. Et loquebatur de gratiis non gratis datis, sed acquisitis, propter quas nonnulli frequenter male faciunt facta sua.

p. 67.

Paradiso, xii, 91–94.

Non dispensare o due o tre per sei,
  Non la fortuna di prima vacante,
  Non *decimas, quae sunt pauperum Dei,*
Addomandò; ...

Cum igitur considero quali fine et intentione Deus dixit: *Inferte omnem decimam in horreum meum,* scilicet *ut sit cibus in domo mea;* et in domo multorum praebendatorum sit in tanta abundantia cibus, quod tantum habent de terra, quantum viginti paria boum eam cultivare non possent, non video quali conscientia quod eis decimae dentur audeant praedicare ; praesertim cum libentius dent ecclesiasticas divitias propinquis divitibus, amasiis, concubinis atque focariis, quam pauperibus Christi. Nam per totum annum, cum pro eleemosyna vado, nec unicum panem in domo talium possum habere : ipsi vero potius congregationi hystrionum, sivi joculatorum, se affabiles faciunt.

p. 211.